

dicerent, anno M. CCCC. LXVIII. majoribus comitiis decernendi facultas est tributa. Inde, quindecim hisce Adjunctis, collegium viginti quinque effectum est. Cui cum Princeps una cum sex ei assidentibus viris, qui *Consiliarii* vocantur, præcesset (omnibus enim collegiis & conciliis Princeps ac Sexviri intersunt ac præsunt) ad duos ac triginta deliberandi jus pervenit. Ii ardua negotia, quæque ad Reipublicæ statum maxime spectarent, pertractare consueverant; perdifficilesque deliberationes excutere, utque eis extrema manus imponeretur, ad Senatum deferre. Verum, quia ita natura comparatum est, ut bonis initii atque exemplis orta paulatim degenerando, uti mortalia cuncta, immutentur; sensim ejus collegii auctoritas usque eo se provexerat, ut limites, intra quos per multos annos se continuerat, transgressa, plerisque Senatoribus, licet intimos animi sensus obtegerent, suspecta & molesta redideretur; ac nonnulli occulto voces dissiparent, quibus immodicam nimiumque sese efferentem potentiam carperent; quod præsertim eo anno multa legibus adversa fecisse dicerentur: publicam pecuniam nimis liberaliter in gratiam privatorum hominum effusam: patricios plerosque majorum comitiorum legibus solutos: alios, qui vel per ætatem arcerentur, vel tempus, quo post exactos honores ad alios capessendos lege minime idonei sunt, nondum exegissent, ad magistratus admisso: cuncta fere ad se traxisse: quæcumque peterentur, facilime ac large tribuere. Itaque kalendis octobris cum comitia pro quindecim Adscriptorum collegii creatione inirentur, duodecim tantum, reliquis prætermissis, quod dimidiam suffragiorum partem non tulissent, delecti fuere. Quarto nonas denuo ad reliquos legendos comitiis vocatis, unus Joannes Corrarius est adlectus. Exinde per aliquot dies haud meliorem exitum res habuit; immo e sermonibus, qui non occulto, sed palam dispergebantur, suffragia inhiberi, suspiciones irrepere, non in eos, qui adversus leges fecissent, sed in magistratum ipsum invidia conflari cœpit. Eo eventu perculsa Patrum ac Praeconsultorum in primis mentes, ne inde Reipublicæ aliquid detrimenti accidere posset, vereri: nimium eam procul dubio auctoritatem excreuisse, quæ cancellis veluti quibusdam comprehensa plurimum Reipublicæ profuisset. At minime ob id